

Die 9 Augusti Horologio fuerunt subtrahenda	-	o'. 32''.
& die 12 Augusti addenda	-	o. 47.
Ergo motus Horologii fuit nimis lentus 3 diebus	-	I. 19.
id est in uno die	-	o. 26 $\frac{1}{3}$

Statuenda itaque est diurna retardatio Horologii circa		
9 Augusti	-	o. 27
Ergo Die 8 Augusti in meridie Horologio subtrahenda		o. 59
Die 9 Augusti mane post mediam noctem	-	o. 45
Post Horam 1. matutinam	-	o. 44
Circa Horam 2. matutinam	-	o. 43
Circa Horam 3. matutinam	-	o. 42.
Circa Horam 4. matutinam	-	o. 41.

Et hoc mihi fuit fundamentum Correctionis Horologii per totum tempus Eclipseos Lunæ.

De Constructione Schematis Eclipseos.

SI Luna eandem semper faciem nobis obverteret, unicum Schema Lunare omnibus observationibus circa Lunam institutis, sufficeret. Cum vero propter librationem Lunæ non solum quædam ejus partes aliquando appareant, quæ alio tempore nobis sunt inconspicux; sed etiam circa Lunaris disci medium major adhuc differentia situs macularum deprehendatur; abunde patet, idem schema omnibus observationibus non facile inservire posse. Ideo, si accurate agere volumus, necesse est, ut ad quamvis observationem singulare schema Lunæ construamus; quod, etsi primo intuitu valde difficile apparet, tamen absque labore nimio fieri potest, quantum scilicet opus est, ad eam observationem, quam elaborare studemus. Si enim loca notabiliorum modo macularum rite observantur, reliqua ex Schematibus Hevelianis, quæ omnes alias, quantum adhuc observare potui, accuratatione multum superant, compensari possunt.

Cum itaque hanc Eclipsin Lunæ ex voto observaverim, operæ pretium fuit, ut schema aliquod, huic solummodo Eclipsei inserviens, construerem, quod non solum observationem eclipseos exhiberet, sed etiam promoveret usum geographicum, quem præstare possunt Lunarium eclipsium obser-